VLADISLAI SIGISMVNDI INVICTISSIMI TRIVMPHATORIS-REGIS POLONORVM SVECORVMQVE AVGVSTI PACIFICI

P. P. S. F.

DOMINI SVI CLEMENTISSIMI,

GLORIOSISSIMUM NOMEN publicà Panegyri veneraturus,

Ad diem 22. Febr. 9 hora.

Mœcenates, Fautores ac Amicos

INVITAT

RECTOR & SENATVS ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ

Illmorem an stuporem plus miseris. lege ultra







REGIOMONTI
Typis LAVRENTII SEGEBADII.
M. DC. XXXVI.

NOta vox Summi Regis est, quæ æterno effato terræ Dominis nominis sui communicans gloriam; DII ESTIS, dicit. Non hîc cuncta tanti tituli munera scrupulosiùs inquirimus; quod, præ manu est, unum proponimus. Summa divinæ potentiæ virtus est, quâ, præter alia omnia, tempestates suo arbitrio ordinat, quoties tristi nubilo magnum mundi lumen involvit, quæquè placidâ tranquillitate terræ, maria, & his conclusa, suâ riserant amœnitate, subitâ ingruentium turbinum vi turbat, disjicit, evertit; quoties iterum lætam reducens serenitatem tranquillat omnia, ac placidæ quieti suæq; reddit securitati. Mare tumidum aut insanum potius, sua rabie cui non formidandum? indomitum sacris literis est ac fastuosum, quod nullius regimen patiatur, at ad solum nutum sui Dei fluctus ponit, leniq; fluvio simîlimum subsistit, vel unico Christi Sospitatoris mirando opere teste. Hinc jam eorum, qui rerum summæ præsunt, Deitatem collige, quibus, omni Historiâ teste, & bellicis motibus, si ita necessum sit, res humanas quatere, & lætâ pace, firmare concessum est. Isti enim turbines quasi sunt, quibus Rerumpubl. navigia sæpius affliguntur, quassantur, sæpius etiam delentur, si inter effervescentes furoris iras turbetur publica salus, terræ cælum, ima summis misceantur; si non blandior jam aura publicam naviculam provehat, sed violentior tempestatum vis rapiat, scopulis allidat, suoq;

vici-

vicinam interitui obruat; si inter horridum armorum stridorem, tonitruumquè terrestrium fragorem dies oculis eripiatur, si misero infecta cruore speciem amittat undarum liquor, & quæ mille alias minantur periculorum species infelicia tempora. Atquè hisce turbis sedandis compescendoquè furori Regum Principumquè gloriosissimè laborat potentia. Summa horum laus est, si ea felicitate clavo assideant, ut nubila serenent, turbas ponant, suæquè navi securitatem præstent ac facilem auram. Hæc enim una est, quæ victoribus etiam invictis pulchra, amplissima ac speciosissima semper exstitit, quâ feliciùs ad divinam immortalitatem progressi sunt multi, quàm qui cruenta vestigia legentes eam affectarunt. Eadem quoq; INVICTISSIMO TRIUMPHATORI REGI VLADISLAO AUGUSTO PACIFICO. P. P. S. F. DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO perennis gloriæ posthac materies, noluisse, cum posset, cruentam victoriam, sed certam pacem; omnia experiri potiús in subditorum suorum salutem, quàm dubijs armis eam credere, ac tandem crudelissimo naufragio ereptam naviculam, fidâ locasse statione. Potuerunt hoc rara ejus FORTITUDO ac PRUDENTIA, quæ simûl ut exorerentur suis populis, quasi Castoris Pollucisquè sidere (quod geminum nunquam infelici omine conspectum creditur) lucente, certa quietis spes undiquè affulsit, Hunc itaquè sine exemplo felicissimum

(nunquam ea, ô DEUS turbetûr felicitas) noſtri ſeculi Regem quis æternitati non conſecret? Temporum injuria Reges ſuos exemptura Panæborum gens, defunctorum eorundem capita inaurata in ſacris collocavit. Quid nos deceat jam conſtat. Sacra nobis erit æternúm tam magni capitis memoria, quod, cùm proprio periculo ac labore mortes atq; interitum á capitibus noſtris averruncaverit, nemo proprio capite á periculo, (quod æternùm DEUS avertat!) aſſerere recuſabit: Sed & noſtræ Muſæ quantum poterunt venerabuntur idipſum religioſo cultu ac devotiſſimis præconijs; Erit cum ijs perpetuò, interque ſacras earum, quæ tàm clementiſsimè tuetur, ſemper verſabitur. Quorum quidem dum hiſce diebus denuò teſtimonium publicá oratione in magno Auditorio dabunt, Illuſtriſsimos, Illuſtres, Generoſos, Nobiles, Honoratos Mæcenates, Fautores, Amicos, Civesquè omnes ſuos devotiſsimè, ſubmiſsè, amicè, invitant. Non pigeat hiſce ſacris præſentiam commodare, quæ ejus honori dicata ſunt, quem DEUM noſtrum ac liberatorem conceſsit Divina indulgentia. P. P. Dominica Reminiſcere 1636.



